

folio

lxiii

Sic deus misit primo patriarchas ad hominē. secundo prophetas. Sed homo nolebat fateri eos cognoscere donec venit filius dei et nos suo precioso sanguine redemit. Ideo iustum est ut hospitium domus nostre sit mundum pro opera meritoria in quo non fit peccatum. Et sic apparet vixor munda et speciosa scilicet anima cum duobus filiis. i. cum voluntate propria deo semper serviendo propter misericordie. Et videas quod signum habetas pro quod poteris cognoscere placidus habuit. Signum illud debet esse dilectio dei et proximi ut deum super omnia diligas et primum tuum sicut teipsum. Et sic poteris fieri magister scilicet omnium sensuum eos recte dirigendo. Et sic per martirium macerationis ad vitam eternam pervenire. Ad nobis. rē.

De custodia et circumspectione habenda ad gregem commissum.

Capitulum cxi.

Quidam nobilis quondam vaccam candidam habuit quam multum dilexit propter duo. Primo quia candida erat. Secundo quia in danto lac abundavit. Nobilis ille pro nimio amore ordiavit quod vacca duo cornua aurea habuit et intra se cogitavit cui posset vaccam ad custodiendum dimittere. Erat enim tunc temporis quidam homo nomine argus qui verax in omnibus erat et centum oculos habebat. Nobilis iste nunciavit ad argum misit ut sine dilatione ulterius ad eum veniret. Qui cum venisset ait ei. Vaccam meam cum cornibus aureis tibi custodie committo et si bene custodieris te ad magnas divitias promovebo. Si vero cornua fuerint ablata morte morieris. Argus vero vaccam cum cornibus recepit et secum duxit, singulis die-

bus cum ea ad pascua pravit et eam diligenter custodivit: et de nocte eam domum reduxit. Erat quidam homo cupidus nomine mercurius subtilis valde in arte musicali: qui miro modo vaccam habere cupiebat sepe ad argum venit ut prece vel precio cornua ab eo obtineret. Argus tenens in manibus baculum pastoralem qua se in terram fixit et ait baculo in persona domini sui. Tu es dominus meus nocte ista ad castellum tuum veniam: tu dices mihi: ubi est vacca cum cornibus: ego respondeo. Ecce vacca sine cornibus. me enim dormiente latro quidam cornua abstulit. Tu dices. Miser nōne centum oculos habes quomodo erat quod omnes dormirent et latro cornua abstulit. Hoc est mendacium: Et sic ero filius mortis. Si dicam vendi tibi: filius mortis ero domino meo. Deinde ait mercurio. Perge viam tuam quia nihil obinebis. Mercurius recessit: et altera die cum arte musicali et suo instrumento venit. Qui cum venisset incepit coram more histrionico fabulas dicere et plerumque cantare quousque duo oculi argi inceperunt dormire. Deinde ad castellum illius duo alii oculi dormitauerunt et sic deinceps donec universi somnum caperent. Quod cernens mercurius: caput argi amputavit et vaccam cum cornibus aureis rapuit.

Moralizatio.

Carissimè.

Nobilis est dominus noster Iesus christus. Vacca candida anima ad dei similitudinem creata: que dum manet in puritate vite: dat lac invocationis et orationis propter quod duo multum a deo diligitur. Et ideo dedit ei cornua aurea. Quia per utrumque salvari sunt plures homines pro morte christi.

ij